Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancto Vitale

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

marcello successori sci marcellini
apparuit dicens. Frater marcelle quare me non
sepelis. Cui ille. Nonne dudum sepul-
tus es domine. Cui apostolus. Tamdiu me insepultum repu-
to quamdiu marcellinum insepultum video.
Cui ille. Nonne domine nosti quod ipse omnes
qui se sepelirent anathematizavit. Cui pe-
trus. Nonne scriptum est qui se humiliat ex-
altabitur. Unde hoc attendere debuisti. Va-
de igitur et ipsum ad pedes meos sepelias.
Qui statim ivit et iussa complevit. De sco vitale

Vitalis quasi vivens talis.
Quia qualiter vivebat exterius talis
erat intus interius. Vel vitalis dicitur a vita.
Vel vitalis quasi invictus seu alis vel igneus
seu alis virtutis. Ipse enim fuit tamquam unum
de animalibus dei que vidit ezechiel. Ha-
bens iste iiii alas. s. alam spei qua vola-
bat in celum. alam amoris qua volabat in
deum. Alam timoris qua volabat in infernum.
Alam cognitionis qua volabat in se ipsum. Cuius
passio in libello sci Gervasii et prothasii
reperta fuisse putatur. De nomine.

Vitalis miles consularis
ex valeria uxore gervasium et
prothasium genuit. Hic cum paulino iu-
dice ravennam ingressus. cum quendam ibi
xpianum medicum nomine ursicinum post
multa tormentorum genera iussu decolla-
ri videret et ille medicus nimium ex-
pavesceret. exclamavit ad eum sanctus vi-
talis dicens. Noli frater ursicine me-
dice qui alios curare consuevisti te
ipsum eterna morte occidere. Et qui ad
palmam per multas passiones venisti.
noli coronam amittere tibi a deo preparatam.
Quod ursicinus audiens confortatus est.
et de pavore suo penitens mar-
tyrium libenter excepit. Sanctus autem
vitalis eum honorifice sepelivit. Fe-
cit. Et post hoc ad paulinum dominum suum
ultra venire contempsit. Ille vero ni-
mium indignatus tum quia ad se venire
noluit. tum quia ursicinum sacrificare vo-
lentem revocaverat. tum quia xpianum se esse ostende-
dit. iussit eum in eculeum levari. Cui dixit
vitalis. Stultissimus es si me putas
decipere qui alios semper studui liberare. Et
ait paulinus ministris. Ducite eum ad
palmam et si sacrificare noluerit foveam
profundissimam donec perveniatis ad
aquam ibidem facite et ibi eum vivum et supi-
num sepelite. Quod et fecerunt et beatum vi-
talem ibidem vivum sepelierunt. circa an-
num domini lvii sub nerone. Sacerdos autem
qui hoc consilium dederat statim a demone
arreptus est et per vii dies insaniens in
illo loco exclamabat dicens. Incen-
dis me vitalis. Die autem vii in flumi-
ne precipitatus miserabiliter exspira-
vit. Uxor autem sci vitalis cum me-
diolanum rediret. invenit quosdam
ydolis immolantes. Qui cum eam hortarentur
ut ydolis immolata comederet. Res-
pondit xpiana sum non licet mihi de vestris sacri-
ficiis manducare. Quod illi audien-
tes eam tam diu verberaverunt quod homines
sui qui cum ea erant usque mediolanum
eam semivivam deduxerunt. Ubi infra
triduum ad deum feliciter migravit.

De sco petro mar

Petrus interpretatur
agnoscens vel discalcians.
Vel dicitur petrus a petros quod est firmum.
Et nota quod per hoc tria intelliguntur
tria privilegia que fuerunt in beato pe-
tro. Fuit enim predicator egregius et ideo
dicitur agnoscens quia perfectam scriptu-
rarum notitiam habuit. Et in predicatione
quid cuique conveniret agnovit.
Secundo fuit virgo purissimus et inde